

dam morale, sive ex Justitia distributiva, sive ex gratitudine, sive ex bona voluntate illius, a qua dependet.

Suppono tamquam certum, quod qui impedit aliquem a consecutione boni ipsi debiti ex Justitia commutativa; quovis modo impedit, etiamsi solis precibus, aut suasionibus sine vi, aut dolo, teneatur ad restitutionem; quia violat Justitiam commutativam, & jus strictum alterius. Sic teneris restituere, si suadeas venditori, ne mercem emptam & solutam tradat emptori; si impediatur suasionibus, aut consiliis, ne is, qui electus est ad Beneficium, & confirmatus, adipiscatur possessionem. Nec refert, quod restituere sit iterato aliquem statuere in possessionem rei suae; id enim verum est secundum nominis etymologiam, sed secundum nominis significationem restituere importat cuiuscumque damni compensationem, & juris violati redintegrationem. Unde etiam hoc sensu potest dici iterum statui in possessione rei suae, id est, juris sui, a quo erat impeditus. Difficultas est ergo de consecutione boni, ex Justitia non debiti: pro quo.

Dico 1. Qui sine vi, fraude, aut dolo, sed solis precibus, persuasionibus, consiliis, blanditiis, & similibus mediis impedit aliquem a consecutione boni ipsi non debiti ex Justitia commutativa, sed vel ex sola Justitia distributiva, vel ex gratuita alterius voluntate, etsi jam ad dandum determinata, non est obnoxius restitutioni; quia non peccat contra Justitiam commutativam, nec alterius jus strictum violat, non enim illa determinata voluntas collatoris jus strictum confert. Unde, sicut ille absque donatarii injuria poterat mutare voluntatem, ita alter absque illius injuria potest inducere ad hanc voluntatis mutationem. Hinc inferes, (Hic a. 2. ad 4.) Eum, qui intendens honorem Dei, & utilitatem Ecclesiae, aut Reipublicae impedit mediis licitis indignum, aut minus dignum a consecutione Beneficii, aut officii, quantumvis collator statuisset illi dare, non solum non teneri ad restitutionem, nec peccare, sed opus virtutis exercere. Similiter non peccat nec tenetur ad restitutionem, qui dicitis modis licitis inducit collatorem, ut Beneficium seu officium, quod decreverat dare Paulo, tibi aut alteri aequè digno conferat: ea enim determinata voluntate nullum jus Paulo contulit collator, ut dictum est; & sicut sine Pauli injuria per se illam mutare potuit, ita & altero suadente. Et propter eandem rationem, si inducas, ut conferat minus digno, aut etiam indigno, peccas quidem, sed non teneris restituere digniori, cum nullum ejus strictum jus violes, bene tamen Ecclesiae, aut Reipublicae, eo modo quo tenetur ipse collator, & eo non restituente: quia Ecclesia, aut Respublica habet jus, ut ipsi de dignioribus ministris provideatur; de quo fusi infra. Item non tenetur ad restitutionem, qui suadet parentibus, ut quod uni testamento reliquerunt, alius relinquant: idem de eleemosynis, & aliis similibus gratuitis.

Verum major est difficultas, utrum saltem, qui id facit animo nocendi, non sit obnoxius restitutioni. Unde Dico 2. Qui modis praefatis licitis sine vi, aut dolo impedit aliquem a consecutione boni, ipsi ex Justitia non debiti, etiamsi id faciat animo nocendi, ex odio, vindicta, &c. non tenetur ad restitutionem. Est communis cum Soto, Navarr. Less. Layman, Sylvio, Serra, &c. contra quosdam antiquos, quibus ex recentioribus adhæret Daëlmann. Ratio est; quia animus nocendi per opus, quod ex se, & in his circumstantiis non est læsivum stricti juris alieni, non est contra Justitiam, sed contra charitatem tantum; nec facit aliunde, quod opus exterius, quod de se, & in his circumstantiis non est injustum, sit injustum, hæc enim intentio non mutat opus exterius: obligatio autem restituendi oritur ex violatione exteriori Justitiæ. Confirm. ab exemplo Judicis, qui ex odio & animo nocendi condemnans reum secundum ordinem Juris non peccat contra Justitiam, & non tenetur ad restitutionem.

Obj. 1. S. Th. hic art. 2. ad 4. solum eximit ab onere restitutionis illum, qui impedit intendens honorem Dei, & utilitatem Ecclesiae: ergo juxta ipsum, qui impedit malo animo nocendi, non eximitur. R. N. Ant. Etenim S. Doctor eximit ab onere restituendi omnem, qui justè impedit. Porro, licet ille, qui impedit intendens honorem Dei, impediatur justè formaliter; ille tamen, qui impedit intendens nocere, sed per media licita, & per opus non injustum, impedit etiam justè, scilicet materialiter. Dixit autem S. Th. *Justè, puta, si intendens honorem Dei*: quia voluit exemplo ostendere, quomodo non solum sine onere restitutionis, sed etiam quomodo sine peccato, imò virtuosè posset quis impedire alium a consecutione Beneficii.

Inst. S. Th. ibid. expressè subdit, eum teneri ad restitu-

tionem, qui impedit animo nocendi ex odio, vindicta, &c. ergo. R. ut ante, quod S. Th. expressè subdat eum teneri ad restitutionem, qui *injustè* impedit, hoc est, per actum Justitiæ contrarium: & quamvis dicat sic: *Injustè, puta, si intendat ejus nocendum, quem impedit propter odium, vel vindictam*; non est sensus, quod injustè quis impediatur, præcisè quia intendit nocendum alterius; sed voluit ostendere S. Doctor, unde plerumque accidit, quod quis injustè alium impediatur a consecutione boni, quando nimirum ipsum odio habet, aut vindictam querit, quasi diceret: *Injustè, quod plerumque accidit, quando quis ex odio nocere intendit. Facere ex odio, aut vindicta*, inquit Soto l. 4. de Just. q. 6. a. 3. ad 6. *non te onere restitutionis gravat, sed facere injustè, scilicet nullo tuo jure, sed violando alienum: facere tamen ex odio est signum aliquod nullo tuo jure uti.* Præter Soto ita etiam interpretantur S. Th. Sylvius, Serra, & alii. Sic etiam quidam intelligunt Legem 1. & 2. ff. de aliqua plurali arcenda: licet alio sensu mox explicando possit intelligi.

Obj. 2. Ab exemplis, in quibus sola intentio nocendi efficit opus contra Justitiam, & obligat ad restitutionem, quod sine tali intentione non fuisset contra Justitiam; nec obligasset ad restitutionem. 1. Secundum Leges cit. si præcisè venas in fundo tuo, per quas derivatur aqua ad puteum alterius, animo nocendi, teneris ad restitutionem; si animo utilitatis tuæ, puta, quia tibi est utile facere murum, qui non potes convenienter fundari sine præcisione venarum, non teneris restituere. 2. Si emas rem furivam animo redendi domino, non teneris ad restitutionem, si animo retinendi, teneris. 3. Si reddas gladium apud te depositum, intendens occisionem tui inimici, es homicida, & teneris de damno; si intendas propriam incolumatam, non es homicida, & non teneris de damno. 4. Si reveles crimen alicujus ex intentione eum diffamandi, peccas contra Justitiam, & obnoxius es restitutioni; secus, si ex intentione ut reus emendetur, aut ut vitetur damnum innocentis: ergo similiter in nostro casu. R. Nego consequentiam, quod in casibus objectis opus ex natura sua, & in his circumstantiis sit læsivum juris alieni, non in nostro casu.

Notandum itaque bene pro hac, & diversis aliis materiis, quod jam alibi notavi, quod, quando actio, seu opus ex natura sua, & in his circumstantiis non est contra Justitiam, ut potè nullius juris alieni læsivum, intentio prava nocendi non facit esse læsivum juris alieni, nec consequenter contra Justitiam. Sic Judex condemnans secundum ordinem Juris reum ad mortem, ex odio tamen, non peccat contra Justitiam, nec tenetur ad restitutionem, quia hæc condemnatio non est ex se, & in his circumstantiis læsiva juris alieni, cum iste reus juridicè convictus amiserit jus ad vitam. Sic, qui recusat eleemosynam graviter indigenti animo nocendi, non peccat contra Justitiam, nec tenetur ad restitutionem; quia hæc recusatio non est læsiva juris alieni, cum eleemosyna non sit debita ex Justitia. Sic, qui via juris, aut facti diffamatum ulterius diffamat ex odio, non peccat contra Justitiam, nec tenetur restituere, quia iste diffamatus amiserit jus ad famam. Similiter in nostro casu, qui impedit alium a consecutione boni ipsi ex Justitia non debiti ex intentione nocendi, non peccat contra Justitiam, nec tenetur restituere; quia ista actio impeditiva ex se, & in his circumstantiis non est læsiva juris alieni, cum supponatur impeditum non habere jus strictum ad illum bonum.

Quando verò opus ex natura sua, & in his circumstantiis est læsivum juris alieni, sic tamen ut propter aliquam rationabilem causam nobis liceat illud agere, nos habendo permissivè ad alterius damnum; tunc, si adsit intentio nocendi, peccamus contra Justitiam, & tenemur restituere; si absit, non peccamus, nec tenemur de damno. Ratio est; quia, ut quis peccet contra Justitiam, & teneatur de damno, requiritur & sufficit, quod sit causa voluntaria damni injustè illati: quando verò quis per opus læsivum juris alieni intendit ejus damnum, & non aliquam utilitatem, ad quam habet jus, nihil deest, ut censetur causa voluntaria hujus damni sine causa & injustè illati: quando verò non intendit damnum, sed aliquam utilitatem, ad quam habet jus, non censetur causa voluntaria damni, sed se habere tantum permissivè ad illud. Atque ita se habent exempla in objectione. Sic distractio aquæ a puteo alieno est de se læsiva juris alieni: occupatio rei alienæ est de se læsiva juris domini in suam rem: tradere arma volenti occidere hostem, est de se læsivum juris, quod hic habet ad vitam: revelatio criminis illius, qui nondum est diffamatus, est de se læsiva juris, quod ha-

habet ad famam. Qui ergo hæc facit ex justa ratione non intendens nocere, non censetur causa voluntaria damni, sed tantum se habere permissivè ad illud: qui verò facit ex intentione nocendi, cum ex se sint nociva juri alterius, nihil deest, ut damnum ipsi tamquam causa voluntaria imputetur.

Magis adhuc explicatur. Opera prioris generis, seclusa intentione nocendi, non sunt læsiva juris alieni: ergo nec ea posita: illa enim intentio non mutat naturam operis exterioris. Opera verò secundi generis sunt ex se læsiva juris alieni, etiam seclusa intentione nocendi: ergo ea accedente merito censetur agens esse causa voluntaria damni.

Inst. Qui occideret divitem animo frustrandi pauperem eleemosynis, quas ab illo divite solebat accipere, teneretur restituere illi pauperi; ad quod non teneretur, si sine tali intentione divitem occidisset; atqui tamen illa occisio non est læsiva juris pauperis: ergo. Prob. Minor. Pauper non habet jus strictum ad eleemosynas: ergo. R. Data majore, N. Min. ad probat. D. Ant. Pauper non habet jus strictum ad eleemosynas præcisè, C. Ant. Non habet jus strictum, ne impediatur per media injusta a percipiendis eleemosynis, N. Ant. Solutio magis patet ex conclusione seq. Unde Dico 3. (Hic a. 2. ad 4.) Qui vi vel metu, fraude vel dolo, detractionibus, mendaciis, & similibus modis injustis impedit aliquem a consecutione boni, licet ex justitia non debiti, sed ex libera alterius voluntate pendens, peccat contra Justitiam, & tenetur ad restitutionem damni secundum proportionem spei, seu certitudinis tale bonum habendi: ita ut si nondum esset firmatum, quod ei datur, non teneretur ad æquale, sed ad aliquam compensationem pensatis conditionibus personarum & negotiorum, secundum arbitrium prudentis: si esset firmatum, quod ei datur, teneretur ad æquale, supposita tamen omnimoda certitudine, alias, ut dictum est, secundum proportionem certitudinis. Ratio Conclusionis est; quia sic impediens infert alteri damnum per veram injuriam: licet enim iste alter non habeat jus strictum ad istud bonum, habet tamen a natura jus strictum illud petendi, prosequendi, & obtinendi. Item habet jus, ne ab isto priori jure per vim, metum, fraudem, dolum, mendacia, & similia media injusta retardetur & impediatur: ergo, qui his mediis injustis illum impedit, lædit ejus jus, & consequenter peccat contra Justitiam, & tenetur ad restitutionem secundum proportionem dictam certitudinis, seu spei ad bonum illud consequendum.

Sed quare, qui precibus, aut suasionibus impedit, non tenetur pariter ad restitutionem, siquidem etiam prosequentem jure obtinendi debeat. R. Disparitatem esse, quod, positus precibus, aut suasionibus tantum, Collator remaneat in libertate donandi, & donatarius in libertate prosequendi, posita verò vi vel dolo tollitur libertas vel donantis vel donatarii.

Dices: hæc Doctrina videtur fundari in hoc Axiomate: *Quod parum abest, nihil abesse videtur*, quod tamen non debet admitti in moralibus. Non enim, qui parum abfuit, ut peccaret, ut occideret, peccavit, aut occidit: & ut dicit Lugo, qui parum abfuit quin fuerit Papa, non est Papa. Respondet Sylvius hic Conclusionem 5. hoc Axioma, si bene applicetur, etiam habere locum in moralibus: non hoc sensu, quod, qui parum abfuit ut damnum dederit, censetur reverà dedisse; sed isto, quod qui damnum dedit in re, quæ parum aberat ut esset, aut haberetur, tenetur ad restitutionem, v. gr. venatur quisquam parum abfuit, ut transiret per agrum frugibus maturum; non transivit, nec tenetur ad restitutionem, quia nullum damnum fecit: si verò transivit, & segetes maturas conculcaverit, tenetur; quia damnum causavit in re, quæ parum aberat ut haberetur. Similiter in nostro casu: si quis parum abfuit, ut impediatur aliquem a consecutione Beneficii, non tamen impeditur, non tenetur restituere; si verò injustè impeditur, quando jam per parum distabat ab ejus consecutione, tenetur; quia damnificavit eum in re, a qua obtinenda tam parum distabat, ut nihil distare videretur. Ita in terminis laudatus Auctor.

Ex his inferes 1. eum, qui vi vel dolo impedit dignum a consecutione Beneficii vel Officii, puta, interceptando, aut lacerando litteras, quibus ipsi indicabatur concursus seu Beneficium vacans, fraudulenter ipsi injiciendo moras in itinere, ipsum injustè diffamando apud Collatorem, aut Examinatores, teneri ad restitutionem, non solum famæ & expensarum ea de causa factarum, sed etiam boni impediti juxta proportionem spei illud obtinendi, ad arbitrium viri prudentis: Dixi: *dignum*; quia qui impedit indig-

num etiam vi vel dolo, licet peccet, quia media illicita adhibet, non tamen tenetur restituere, quia indignus non habet jus prosequendi Beneficium, aut Officium. Idem censet Sporer de minus digno respectu dignioris; quia in concursu dignioris minus dignus non habet jus. Negat tamen Sylvius hic a. 2. Concl. 5.

2. Tenetur ad restitutionem, qui vi vel dolo efficit, ne Testator scribat aliquem heredem, aut scriptum debeat; item, qui falsa spe sanitate a Testamento in alicujus favorem condendo averit; item, qui publicum tabellionem a moribundo vocatum a Testamento conficiendo avocet; tenetur enim ex officio tabello in his inservire; non tamen qui eum vocare renuit, ut vult Henno, nisi ex officio vocare teneretur, ut famulus. Idem cense de impediendo similibus modis eleemosynas, aut dona gratuita.

3. Qui aperit litteras, ad aliquem alterum directas, ex quibus agnoscitur Beneficium vacans, aut inopiam futuram mercium, & ex ea notitia alterum prævenit in consecutione Beneficii vel lucri, tenetur ad restitutionem, etiam si rempessive alteri reddiderit suas litteras (contra quosdam) quia ipsa aperio litterarum, ex qua agit, est dolosa & injusta.

4. Qui Collatori, aut Examinatoribus revelat crimen occultum prosequenti Beneficium aut Officium, ob quod est indignus, aut minus idoneus, non tenetur restituere; quia ubi agitur de Officiis publicis, aut Beneficiis, licet patefaccere ea, quæ postulantem inhabilem reddunt. Quod si crimen aliis etiam propalaret, & ex hac injusta diffamatione, non ex revelatione occulta facta Collatori, aut Examinatoribus, impediatur, teneretur ad restitutionem, quia tunc ex crimine diffamantis, & non ex crimine diffamati impediatur: nisi forte Collator non tam ad infamiam, quam ad crimen occultè commissum attendat.

5. Titius litteras destinatas Caio, quibus significabatur præbenda vacans, vel lucrum consequendum, sciens tradidit Sempronio amico suo; qui illas aperuit, & Beneficium, aut lucrum obtinuit, prævenit & impedito Caio, ad quid tenetur Titius? ad quid Sempronius? Titius si ex officio, aut pacto tenebatur reddere Litteras Caio, obnoxius est restitutioni; secus & modo non influxerit in aperitionem litterarum, non est obnoxius restitutioni; quia in primo casu peccavit contra Justitiam, non in secundo. Sempronius verò, si aperio litterarum fuit causa damni, tenetur restituere; quia fuit dolosa & injusta; si sola litterarum detentio fuit causa damni, eo quod aliunde didicerit Beneficium vacans, aut lucrum consequendum, tenetur etiam restituere, si ex officio, vel pacto tenebatur reddere Litteras; secus, non, ut ante.

6. Titius mercator reperit litteras in foro abjectas ab aliquo alio mercatore, & laceratas, fragmentis collectis & conjunctis legit magnam inopiam futuram certam mercium, harum mercium magnam copiam emit vili pretio, præveniens istum alterum mercatorem, & lucrum præcipiens: non tenetur Titius ad restitutionem: quia alter mercator litteras laceratas in foro abjectas habuit pro derelictis, & censetur concessisse omnibus potestatem & usum fragmentorum. Ita Sylvester v. *Emptio* q. 17. Aliud dicendum foret, si litteræ forent integre, casu & involuntariè amissæ.

7. Tandem Tenetur restituere, qui quovis modo etiam solis precibus, aut suasionibus impedit aliquem a consecutione boni publici, quod est principaliter institutum in utilitatem singulorum, cujusmodi sunt ararium publicum, pie fundationes, proventus ex bonis communibus. Quia non est eadem ratio horum bonorum, quæ Beneficiorum & Officiorum publicorum. Hæc enim cum principaliter ad bonum commune ordinantur, & non in privatam commodum particularium, quibus conferuntur, his non sunt debita nisi ex Justitia distributiva tantum. Alia autem, quæ sunt principaliter in utilitatem singulorum instituta, eis debentur ex Justitia commutativa, quatenus unusquisque habet aliquod jus ad suam partem.

### ARTICULUS XIII.

De Restitutione faciendi ab his, qui injustè damnificationi cooperantur.

§. I. Expediuntur quædam difficultates circa cooperantes in communi.

I. Præter eum, qui per se immediatè actionem injustam exercet, de quo hactenus, sæpè intersunt, qui actioni damnificativæ cooperantur physice, vel moraliter ut

ut qui mandat, aut consulit furtum, furi scalas, claves commodat, & similes. Hos etiam teneri ad restitutionem, nemini dubium esse debet: (*Hic q. 62. a. 7. in a. s. c.*) nam juxta Apost. ad Rom. 1. *Digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt faciendis.* Unde axioma Juris C. *Votum Q. 1. Facientem & consentientem par pena constringit.* Insuper C. *ultimo, de injuriis dicitur: Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, aut irrogantibus opem forte tulisti, super his te satisfacere oportet.* Quapropter merito Innoc. XI. proscripsit hanc propositionem ordine 39. *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.*

Nec obstat, quod, qui jussione, consilio, hortatu, adulatione, &c. movet alium ad injustam actionem, non adimat libertatem. Quamvis enim sic moto maneat libertas, certum est tamen, quod hujusmodi jussio, consilium, &c. possit influere efficaciter in damnum, quod alioquin non fuisset illatum: teneretur autem de damno, qui est causa efficiens illius. Non obstat etiam, quod inst. l. 4. tit. *De obligat. ex delicto §. interdum 11.* dicitur: *Qui nullam opem ad furtum faciendum adhibuit, sed tantum consilium dedit, atque hortatus est ad furtum faciendum, non tenetur furti.* Id enim intelligunt Interpretes, vel de consilio, quod nulum influxum habuit in furtum, vel quod talis in foro exteriori non tenetur ad poenam furti.

II. Novem modi communiter cum Auctore (*Ib. o.*) re- censentur, quibus injuste damnificationi quis potest cooperari, his versibus comprehensum.

*Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus, Participans, mutus, non obstands, non manifestans.*  
III. Differunt hi modi: 1. quod sex priores concurrant ad damnum positivè & directè; tres ultimi negativè tantum & indirectè: (*Ibid.*) 2. quod *jubens, consentiens* sine quo damnificatio non fieret, *receptans*, seu defendens, *participans*, & *non obstands*, qui tenetur ob stare ex officio, tenentur ordinariè ad restitutionem; quia per se & ex genere suo influunt efficaciter in damnum, licet per accidens contrarium possit contingere: non sic reliqui modi, qui per se & ex genere suo non sunt causa efficiens damni; licet etiam contrarium quandoque contingat. Tertia differentia est, quod quidam primariò, quidam secundariò tenentur ad restitutionem, ut dicimus infra.

IV. Ut dignoscatur, quando & quantum isti modi obligent ad restitutionem, (*Collig. Ibid.*) tenenda est hæc regula generalis: *In tantum obligant ad restitutionem, in quantum influunt efficaciter in damnum:* quia tota obligatio restituendi oritur ex influxu in damnum. Quapropter si certo influunt efficaciter in totum, obligant ad restitutionem totius: si in partem tantum, obligant tantum ad partem, si certo nullatenus influant, ad nihil; si probabiliter influant, obligant pro ratione probabilitatis; si sub dubio, proportionatè ad dubium, ut dictum est supra.

V. Quod si non ad substantiam damni influant, sed in modum tantum, puta ut citius, animosius, atrocius, tali loco, tali tempore, cum tali augmento, dubium est: Nos cum S. Antonio, Paludano, Navarro, Gabriele, Henrico a S. Ignatio, Henno, & aliis probabilibus credimus, quod sic influens tantum tenetur restituere, quantum iste modus, seu circumstantia fuit proximo damnosa; quia est tantum causa efficiens istius circumstantiæ, & non substantiæ actus secundum speciem damnosam.

Obijciunt plures, & etiam graves Auctores Cajetan. Sotus, & alii, hos sic influentes esse causam totius & substantiæ actionis, prout hic & nunc fit; quia non possunt esse causa istorum accidentium & circumstantiarum, nisi sint etiam causa substantiæ actionis: nocet autem actio, prout hic & nunc fit: hæc ratio est probabilis. Attamen R. Esse quidem causam substantiæ illius actionis in individuo, nempe quod sit potius hæc actio in individuo, quam illa, sed hoc parum facere ad obligationem restitutionis, quando actio secundum speciem damnosa aliunde est certò securata. Quid enim facit ad damnum, quod celerius, aut tardius, quod tali, vel tali loco fiat? Parum certe: neque id negare possunt adversarii: sic enim qui est causa, cur damnum differatur in aliud tempus, aut ut fiat in alio loco, ubi minus est scandali, est causa totius actionis & quoad substantiam in individuo, & tamen ad nihil tenetur secundum omnes.

VI. Ex dictis inferes 1. Si mandas, consulis, &c. furtum jam parato ad furandum, sive ex se, sive ex alterius mandato, aut consilio, ita ut tuo non magis moveatur ad furandum, sed independentè ab illo furaretur; peccas quidem effectu contra Justitiam, sed restituere non

teneris; quia non influis efficaciter in damnum. 2. Si parato furari 10. consulas furari 20. ad 10. tantum teneris, & non ad 20. quia ad 10. tantum influis efficaciter, nisi forte tuo consilio firmiore ad totum furtum reddideris. 3. Si parato furari hodie consulas furari cras, in tantum teneris, in quantum hæc circumstantia nocet proximo, quia in illam tantum efficaciter influis. An nihil autem teneris, si eo fine consulueris, ut averteres a furto, & sperans fortè, quod fur mutaret animum, aut deesset occasio, vel alio recto fine. 4. Si parato furari 20. suades tantum furari 10. ab eodem, eo animo ut avertas a majori, non peccas, nec teneris quidquam restituere; quia rectè suades, & rem domini utiliter geris; non enim hujus consilii sensus est absolutus, fac hoc minus malum, sed conditionatus, si hoc genus mali facere decreveris, fac potius id quod minus est, quam id quod est majus. Si vero id suades pravo animo, puta, quia facilis, aut tutius 10. quam 20. furabitur, peccas & teneris restituere pro quanto hæc circumstantia nocet proximo.

Dixi ab eodem; quia si parato furari a Petro 20. suades furari 10. a Joanne, peccas & teneris restituere 10. Joanni; quia illi sic efficaciter causas damnum, ut sine te non damnificaretur, nec habes jus servandi Petrum indemnem cum detrimento Joannis; unde Joannes est rationabiliter invitus. Idem dic, si parato furari ab aliquo indeterminatè, suades furari a tali determinatè: quia pariter est causa damni illius, quem designas. Secus, si suades tantum in genere, ut a divite potius, quam a paupere furaretur, neminem in particulari designando, nec indicando; quia tunc nulli facis injuriam, sed tantum suades minus malum, ut avertas a majori. Quod etiam verum puto, si latro cogitaret de duobus, & esset anceps, cui vellet damnum inferre, determinatus tamen alterutri inferre, modò non inducas, nec suades in particulari, ut huic potius, quam isti noceat, sed dumtaxat in genere indices & suades, quoadnam sit minus malum, relinquens ejus judicio utrum malit amplecti; sic enim proponis tantum veritatem speculativam, quam nosse expedit, nec de hoc jure conquiri potest alter.

VIII. Altera difficultas est: utrum ut cooperans sit causa efficiens damni & inde obnoxius restitutioni, requiratur, quod sit causa, sine qua damnum non fuisset; ita videntur olim sensisse antiqui & primæ classis Theologi, S. Antonius, Sylvester, Adrianus, Navarr. & alii: Id etiam videtur docere S. Th. in 4. d. 15. q. 1. a. 5. Quæstionc. 3. ubi dicit, consulendum non obligari ad restitutionem, nisi quando probabiliter credit, quod consilium suum fuit efficax, & quod aliis injusta ablatis commissis non fuisset. Et hic a. 7. o. loquens de consensu, dixit obligare ad restitutionem, *In eo scilicet, sine quo rapina fieri non potest.* Hæc sententia, secundum diversum sensum intellecta, est vera & falsa.

Vera est 1. si intelligatur de cooperante ad modum actionis tantum, & non ad substantiam, prout N. 5. supra explicatum est. 2. est vera, si intelligatur de cooperante, qui sua cooperatione nihil movet malefactorem, jam aliunde determinatum ad maleficium, ut etiam dictum est num. præcedente. 3. vera est, si intelligatur de actione damnificativa, quæ sit omnino eadem, tam ex parte effectus, quam ex parte agentis; quia, cum secundum principia scholæ Thomisticæ non possint esse duæ causæ totales ejusdem omnino effectus; hoc ipso quo causa producit aliquem effectum, est causa, sine qua non fieret iste effectus idem omnino ex omni parte.

Falsa est autem, si intelligatur de actione damnificativa, quæ sit eadem tantum ex parte effectus, seu damni, non ex parte damnificantis: sic v. gr. Titius occidens Caicum, quem aliunde occidisset pariter Sempronius, est vera causa efficiens mortis Caii, licet non sit causa sine qua non (nisi fortè intelligas *ly sine qua* secundum speciem, hoc est, *sine qua, aut simili superveniente*) Ratio evidens est; quia illa causa est efficiens damni, per cujus actionem damnum accipit esse, sive interim ab alia superveniente accepisset, sive non. Quapropter, ut rectè monet Cajetanus hic, ad dignoscendam causam efficacem damni respiciendum est ad hæc affirmativam, *An iste fecerit, physice, vel moraliter;* & non ad hæc negativam, *An non factum fuisset sine illo.* Alias sanè sequeretur gravissimum absurdum, quod in injusta damnificatione nemo plerumque teneretur restituere; non qui facit, quia sine eo facta fuisset; non qui fecisset, quia de facto non fecit: & melior foret conditio prædonis alios prævenientis in furto, cum frueretur præda sine onere restitutionis. Itaque, sicut, qui post furatus fuisset, incurrisset obligationem resti-

tituendi, ita qui prius furatur, prius incurrit obligationem. Nec puto, id unquam negasse laudatos Auctores, quorum primò sententia debet intelligi secundum aliquem ex tribus prioribus modis.

Quantum ad D. Th. constat, eum non exigere, ut causa sit efficiens damni, quod sit causa sine qua non; si quidem hic a. 7. o. docet, cooperatorem teneri ad restitutionem, quando ex ejus cooperatione fuerit injusta actio subsequuta; non requirens, quod sine ea non fuisset secuta. Unde ejus dictum in 4. intelligendum est primo, vel tertio sensu supra exposito, vel de causa sine qua non secundum speciem, ut etiam dictum est secundum aliquos. Aliè nec male recentior exponit hunc textum D. Th. dicens, duo in eo importari, unum affirmativum, scilicet quod consilium efficaciter influerit in damnum: aliud negativum, scilicet quod sine eo damnum non fuisset illatum: affirmativum sufficere, ut consulens ad restitutionem teneretur; requiri autem negativum a D. Th. non tamquam omnino necessarium, ut consulens teneretur restituere, sed ut certo constet, ipsum in damnum influxisse: tunc enim hoc affirmativum apud omnes certum est, cum adest negativum; & e contra sæpè dubitatur de affirmativo, quando adest negativum.

Quantum ad textum cit. ex hac q. R. S. Doctorem non loqui de consensu qualitercumque obligante ad restitutionem, sed de consensu obligante semper, hoc est, per se, & ex genere suo, ut patet ex textu: talis autem consensus debet esse, sine quo injusta actio fieri non posset, ut in eo, cujus consensus, seu suffragium est necessarium ad iniquam sententiam, aut electionem. Consensus autem, sine quo posset fieri damnum, non obligat semper, seu per se, & ex genere suo, sed tantum quando contingit, quod influat efficaciter in damnum sicut cæteræ causæ. Et hæc esse mentem D. Th. patet ex eo, quod hoc dicat tantum de consensu, & non de cæteris, quia nulla ex omnibus aliis causis cooperantibus est talis, sine qua fieri non possit damnum.

Quidam putant, etiam hæc Antiquorum sententiam esse veram, quando plures similes de facto cooperantur ad damnum, sic tamen ut unus tantum cooperatione æquè damnum inferretur, absquè alia causa superveniente v. gr. plures consulunt furtum, quorum omnium suasionem movetur ad furandum, qui tamen unus tantum suasionem æquè fuisset motus; tunc, inquit, quilibet consulens teneretur tantum restituere pro rata, hoc est, quantum ipse suo consensu, judicio prædantis æstimatum, damnum intulit. Horum ratio est, quia, licet hi omnes influant in totum damnum, pariter tamen, & diminutè tantum influant in damnum, quod alias etiam sequeretur nala alia causa superveniente: ergo pariter, & diminutè tantum ad restitutionem obligantur, non enim æquum videtur, ut ex pariali, & diminuta cooperatione æquè quis obligetur, ac ex totali, & completa, cum ratio influens sit mensura obligationis, ut dictum est. Nec est simile, inquit, de illo, qui infert damnum, alias ab altero de facto non concurrente inferendum; quia de facto in tali casu est causa efficiens, & completa totius damni, tam moralitate causæ, quam effectu.

Quantumvis hæc sententia mihi arrideat, ac probabilis videatur, illi tamen subscribere non ausim; quia hæc admissa non video, quomodo cogendus sit ad restitutionem totus in solidum, qui ad occisionem hominis adjuvaret illum, qui solus occidisset: item & illi, qui commoditatis gratia asportant onus furtivum, quorum alter solus asportasset; par enim videtur ratio; & hos tamen ad restitutionem totius in solidum obligant communiter Auctores, etiam hujus sententiæ Patroni. Puto ergo dicendum, & hos & illos esse causas efficaces damni, & obligari ad restitutionem totius in solidum; quia revera influunt efficaciter in totum damnum saltem totalitate effectus: nec inquirendum, quid factum fuisset hoc, aut illo non concurrente, sed quid revera factum sit.

#### §. II. Exponuntur singuli modi, & primò jubens.

**J**ubens hic dicitur, qui suo mandato expresso, vel tacito movet alium, ut suo mandatis nomine damnum alteri inferat: *Expresso*, ut si Pater filio, Hædus servo, Princeps subdito, Dux militi dicat: fac hoc damnum: volo, jubeo, ut hoc facias, occidas, &c. *Tacito*, ut si Dominus subditis significat sibi gratum fore, si tale furtum faciant, talem occidant, aut coram eis conqueratur, quod nemo factam ipsi injuriam ulciscatur: qua

ratione occisio S. Th. Cantuariensis imputata est Henrico II. Angliæ Regi.

Utrum, ut quis censeatur *Jubens*, debeat esse superior mandatario? videtur quod sic, proprie, & strictè loquendo, quia mandatum proprie, & strictè dictum stringit, & obligat mandatarium, ad quod requiritur auctoritas in mandante. Attamen, qui pretio dato, vel promisso alterum movet, ut damnum inferat, reducit ad mandantem, quia sic eum sibi subijcit, & obligat ut ministrum suæ voluntatis. Item, qui mandando, hortando, conquerendo movet alterum, ut suo moventis nomine, damnum inferat, etiam videtur pertinere ad mandantem; quia in hoc maximè videtur differre mandans a Consulente, quod mandans moveat, ut res fiat suo nomine, non consulens.

II. Indubium est, jubentem, qui sua jussione influat (*Hic a. 7. o.*) efficaciter in damnum, teneri, & quidem principaliter, ad restitutionem hujus damni, quia est causa illius principalis, & magis principalis, quam ipse erequens. Quod si ejus mandatum nullatenus influerit in damnum, quia mandatarius, vel illud sprevit, vel jam erat omnino paratus ad eandem damnificationem, non tenetur de damno ut jubens; poterit tamen teneri ut non obstands, si mandatarius sit ejus subditus, quem ex officio tenetur impedire a maleficio. Quid in casu dubii? dictum est supra.

III. Jubens non solum tenetur de damno, quod expressè jussit, sed etiam de illo, quod attentis circumstantiis potuit humano modo prævidere secuturum ex sua jussione: ut si jubeat servo mutilare Petrum, servus autem mutilando occidat: si jubeat horreum Petri incendi, & horreum vicini simul incendatur: si jubeat famulo iracundo Petrum fustibus excipere, & Petrum mutilet; quia attentis circumstantiis hæc poterat prævidere secutura ex suo mandato. Quod si mandatarius ex malitia excedat mandatum, & damnum, quod ultra infert, non poterit prævideri a mandante, ut si justus fuste Petrum exciperet, excipiat cultro, aut gladio, & occidat, aut mutilet; si justus incendere domum Petri, ipsum occidat, cum absquè occisione potuisset incidere; non tenetur de tali damno secuto mandans, sed mandatarius, quia non ex mandato, sed ex mandatarii malitia sequitur.

Utrum verò, si damnum non potuerit prævideri, nec sequatur ex malitia mandatarii, sed casu: v. gr. jussus occidere Petrum, per errorem occidit Paulum: non pauci censent mandantem teneri de morte Pauli, & de omnibus damnis ex ea secutis, quia, inquit, mors Pauli sequitur efficaciter ex mandato. Verum id alii non minus probabiliter negant, & dicunt, mortem Pauli in hoc casu non sequi ex jussione mandantis, sed ex errore mandatarii. Addunt, mortem Pauli in hoc casu non esse voluntariam mandanti, quia non fuit prævisa, nec potuit prævideri, proindeque nec ipsi imputabilem. Urgent: Si jussus occidere, Paulum rusticum, occideret per errorem Petrum Regem, teneretur mandans de omnibus damnis ex morte Regis secuturis? id durum videretur. Tandem juxta cap. ultimum de Homicidio in 6. l. 5. tit. 4. si ex simpliciter verberatione mandata sequatur mutilatio, aut occisio, jubens non fit irregularis, nisi quatenus occisionem, aut mutilationem potuit prævidere: ergo neque restitutioni obnoxius. Merito itaque dixit noster Serra, hujus questionis resolutionem non carere difficultate.

IV. Petes, si ipsi mandatario obveniat damnum in executione mandati, ut, si jussus volens occidere Petrum, ipse occidatur, aut mutiletur, aut ob homicidium, vel furtum jussu meo patrum ad tritremes, vel carcere, aut patibulum damnetur, utrum teneat ipsi, vel ejus familia damna resarcire? R. Sub distinctione: si non subditus liberè meum mandatum suscipit, maximè mediante pretio, ad nihil teneor quia vel vi contractus omnia damna mihi remisit, vel saltem spontè se illorum periculo subijcit; scienti autem, & volenti non fit injuria. Idem cense de eo, qui agit ex consilio. Si autem sit subditus, qui vi mandat quodammodo cogitur (mandatum enim, ut dixi, importat obligationem, & quamdam coactionem moralem) teneor illi damna resarcire; quia illis non se spontè subijcit, sed sequuntur ex injuria a me ipsi illata per iniquum mandatum. Quidam excipiunt damna extraordinaria, quæ prævideri non poterunt; ut si mandatarius jussu meo alium occisurus casu preat in via ordinaria, puta, equo lapsus, aut a latrone invasus. Verum nec ab his videtur exigendus mandans; qui mandato obligans, & cogens mandatarium ad tale facinus suscipit in se omnia pericula, quæ occurrunt in executione necessaria sui mandati. Aliud esset, si hæc pericula spontè, & sine necessitate incurrisset mandatarius, ut si, cum posset transire per viam ordinariam, & securam, voluerit ingredi periculosam.

V. Quando scis, alterum esse paratum damnum inferre tuo nomine, v. gr. inimicum tuum occidere, & is alter scit pariter suum propositum tibi esse cognitum: si non contradicas, nec obstes, cum possis; teneris de damno, si non ut mandans, saltem ut consentiens; quia tuo tacito consensu, & approbatione censetur alter moveri ad facinus perpetrandum. Quod si alter nesciat suum propositum esse tibi cognitum, certo non teneris, saltem ut non obstant? Respondent quidam affirmative; quia quisque tenetur ex iustitia impedire, ne quis nomine ipsius damnum proximo inferat. Hoc est probabile, certum esse non liquet.

VI. Si omnino ignorans perniciosum alterius propositum, ejus tamen facinus tuo nomine, seu in tui gratiam commisit, postea resciscens ratum habes, non teneris de damno. Ita communiter contra Palud. Sylvestr. & Navarr. Quia ista ratihabitio nullo modo influit in damnum jam ante illatum; ad præteritum enim non datur potentia, nec actio. Nec obstat hæc regula Juris 1. in 6. *Ratihabitioem retrahit, & mandato non est dubium æquiparari*: quia hæc intelligitur tantum 1. de contractibus, quia dum contractum me inscio, nomine tamen meo factum, ratihabeo, ipsum confirmo, ac si mandassem, & quasi de novo illum in eo; unde vi ejus obligor. 2. Intelligitur de penis canonicis, quia qui ratum habet facinus suo nomine commissum, præsumitur in Jure illud mandasse, aut in illud consentisse, vel etiam quia, reposita præsumptione, peccatum est maleficium ratihabere, quod potest jure poena plecti: non sic de restitutione, ad quam nemo tenetur, nisi damni causa fuerit physica, vel moralis.

Inst. Qui prævidet, me suum facinus meo nomine perpetratum ratihaburum, ea ratihabitione sperata movetur ad perpetrandum facinus, ut mihi gratificetur, sique illa ratihabitio; etsi in executione sit posterior, est tamen prior in intentione. R. Ex hac instantia nihil aliud sequi, quam quod sine causa finalis hujus facinoris: fini autem non imputatur actus sive bonus, sive malus; quia, licet ad actum moveat, non tamen movet ex voluntate, & per modum actus humani, sed tantum per modum objecti allicientis voluntatem.

VII. Ubi mandans revocavit mandatum tacite, vel expressè, & ea revocatio innotuit mandatario, regulariter non tenetur restituere mandans ut mandans, etiam effectu secuto: quia per revocationem intimatam mandati exprimitur mandatum, sique non potest amplius censeris causa damni: neque mandatarius agit tunc nomine, & ex voluntate mandantis, sed nomine, & motu proprio. Dixi 1. *Ubi mandans revocavit mandatum, expressè nuntium, vel tacite*: expressè, ut verbo, scripto, vel nuntio contrariam voluntatem exprimendo: tacite, ut signo, nutu, amicitia inita cum eo, cui damnum jusserat inferri. Dixi 2. *Et ea revocatio innotuit mandataria*: quia, si revocatio mandati non innotescat mandatario, sive id accidat ex incuria, aut oblivione nuntii, sive quia ignoratur, ubi sit mandatarius, aut satis tempestive ad ipsam pervenire non possit revocatio, quantumvis coram Deo doleat mandans, & jam forte a crimine mandati sit absolutus, & justificatus, tenetur de damno; quia sequitur vi mandati illius. Sicut, qui venenum propinavit, & poenitens facti conatur viam ejus elidere sed incassum, est vera causa mortis secuta, & tenetur resarcire damna. Dixi 3. *Regulariter non tenetur*: quia contingere potest, quod revocato mandato, & revocatione cognita adhuc teneatur: nempe, si mandatarius, credens revocationem non esse seriam, quod facile accidere potest, ubi est tacita (v. gr. cognita domini indole subdola, putat ipsum tantum simulare amicitiam cum priore inimico, ut ipsi efficacius noceat) vel revocationis inculpabiliter oblitus mandatum exequatur; mandans, inquam, in his casibus tenetur adhuc de damno, quia etiam tunc mandatarius adhuc agit vi illius mandati. Sed quid ad hunc casum? Titius, promissa mercede mandat Caio occidere Sempronium: Titius, poenitentia ductus, litteris datis Caio significat mandati sui revocationem: Caius promissæ mercedis obtinenda spe illectus, qui tenetur de damno? R. Mandatarium teneri, non mandantem; quia occisio non sequitur vi mandati, quod est sufficienter revocatum, sed ex malitia mandatarii. Dixi 4. quod non teneatur restituere ut mandans; quia potest, etiam revocato mandato, aliis titulis teneri: 1. Ut consulens, si mandando mentem mandatarii pravis artibus, & consiliis imbuerit, quorum viam, & impressionem non sufficienter eli-

cit. 2. Ut non obstant, si mandatarium, non obstante mandati revocatione, facinori perpetrando obstinatum, in quantum potest, non impedit, quia in causa est per suum mandatum cur proximus sit in tali periculo, quod ideo ex iustitia tenetur avertere, si potest. Id saltem est probabile.

VIII. Quando mandans non potest revocare efficaciter mandatum, tenetur monere damnicandum, ut sibi consulat, etiam cum suo damno equali, si sit spes hac via mali impediendi, non tamen cum damno suo longe majori & altioris ordinis. Prima pars patet 1. quia tenetur ex iustitia impedire, ne per causam a se injustè positam damnum eveniat proximo. 2. Quia is tenetur impedire faciendum, qui tenetur reparare factum; atqui, &c.: ergo, &c. Secunda pars etiam patet; quia in pari causa potior est conditio innocenti, quam nocenti: igitur vitam proximi vitæ tuæ, famam sumæ, bona fortunæ bonis tuis redimere teneris. Tertia pars tandem patet; quia in tali casu impeditio damni censetur moraliter impossibilis, quia valde difficilis, & id irrationabiliter exigeret dominus. 2. In tali casu non tenetur reparare factum, ut dicemus infra de causis excusantibus a restitutione: ergo nec impedire faciendum. Si itaque agatur de damno fortunæ, non teneris monere cum periculo vitæ, aut gravis infamiae. Nihilominus teneris de damno, quod vi mandati tui inferatur.

### §. III. Consulens.

Consulens sumitur dupliciter: 1. pro eo, qui decernit de bonitate, aut malitia actionis, ut qui dicit contractum esse licitum, cum sit illicitus; restitutionem non esse faciendam, cum sit facienda: 2. pro eo, qui supposita, & cognita actionis injustitia eam suadet, sive proponendo utilitatem, voluptatem, honorem, quæ ex illa obvenient, sive ad eam precibus, blanditiis, pollicitationibus excitando, sive tandem suppeditando media, & modos, quibus efficaciter, & tuto fieri possit.

II. Consulentes 1. modo, ad quos spectat ratione officii, seu professionis consilium dare, quales sunt Parochi, Confessarii, Concionatores, Theologi, Advocati, Medici, &c. Item ii, qui pro idoneis Consiliariis se gerunt, ac se in tali re peritos profitentur, tenentur ex culpa Theologica, & pro quantitate culpæ ad restitutionem damni, quod ex falso suo consilio sequitur, tam illi, qui consilium petunt, quam illi, contra quem petitur. Si autem consulentes sint, qui ratione status, aut officii rei consulte peritiam non profitentur, nec pro peritis se gerant, ut sunt plebei, mulieres, & similes, quorum insufficientia est nota; non tenentur de damno illi, qui consilium petit, nisi ex dolo, hoc est, nisi scienter alterum ignorantem circumveniant, ut refert Regula Juris 62. in 6. *Nullus ex consilio, nisi fraudulenter fuerit, obligatur*. Bene tamen illi, contra quem consilium petitur, ut jam dixi supra a. 7. Ratio disparitatis est, quia hi, ad quos spectat ratione officii dare consilium, tenentur, & reputantur habere peritiam requisitam, qua dum carent, peccant, & alios decipiunt, qui bona fide eorum consilium sequuntur, sique per culpam, & deceptionem sunt causa damni; & hoc sensu potest etiam intelligi *Consilium fraudulenter* in lege citata, quia fraudantur, qui illud sequuntur. Alii vero, qui non sunt consiliarii ex officio, cum non teneantur habere peritiam, & nota sit eorum insufficientia, non decipiunt petentem consilium, sed ipse se decipit, damnumque, si quod patitur, imputare debet suæ imprudentiæ: scienti enim, & volenti non fit injuria. Si tamen agatur de damno tertii, tenentur ad illud, quia iste tertius non est sciens, neque volens; & qui consilium dat, positive concurrat ad ejus damnum. Nec obstat, quod inculpabiliter ignorat, ideo enim maxime culpandus est, quod in rebus, quas ignorat se dandis consiliis immiscere audeat, sique sciens, & volens se exponat periculo damnicandi innocentem, & invitum. Confer, quæ dixi a. 7. cit. Notandum tamen cum Sylvio, Lessio, & aliis communiter, ad nullam restitutionem respectu cuiuscumque teneri, qui in consilio dando indicat se dubitare, aut qui simpliciter aperit suam mentem dicens ita sibi videri; non tamen suadens, ut alter sequatur; quia, cum nihil certo statuat, aut assermet, aut suadeat, si nihilominus agat, qui petit consilium, non curans habere majorem certitudinem, & inde damnum sibi, aut alteri sequatur, soli ejus voluntati, atque teneritati tribuendum est. Idem dic de eo, qui respondet secundum sententiam probabiliorum; non enim peccat, etsi forte decipiat.

III. Consulentes 2. modo, hi scilicet, qui maleficium suadent sibi precibus, blanditiis, laudibus, &c. sive pro-

positis, quæ ex eo resultant, commodis, sive indicatis modis, quibus effici potest tuus, & efficacius, ad nihil tenentur respectu illius, qui petit consilium, quia scienti, & volenti non fit injuria; teneri autem respectu illius contra quem petitur consilium, si ex eo illi sequatur damnum, indubium est ex dictis §. 1. Ad quid autem teneantur, si jam parato ad maleficium substantiam consulat tantum locum, tempus incrementum, decrementum, & similia accidentia, etiam dixi loco cit.

IV. Restat itaque difficultas, utrum, revocato tempestive consilio, antequam damnum inferatur, maneat consulens absolutus ab onere restituendi, si nihilominus damnum fiat. Quæstio sub distinctione communiter resolvitur juxta diversum modum consulendi. Consulens 1. modo, revocato tempestive consilio ordinariè ad restitutionem non tenetur; ut si dixeris, contractum esse licitum, qui est illicitus; restitutionem non esse faciendam, cum sit facienda; & postea doctior factus, aut consilii poenitens declares aut factum te fuisse deceptum, contractum esse illicitum, restitutionem esse faciendam, non teneris: quia tunc tota ratio agendi proveniens ex consilio cessat, ita ut si alter agat, non ex consilio, sed ex propria malitia agere censendus sit. Nisi forte consulens prius datum consilium argumentis, & sophismatibus ita roborasset, ut vis eorum subsequenter rationibus non elideretur efficaciter, & ex eorum impressione remaneret fieret adhuc maleficium; tunc enim non cessaret tota ratio agendi proveniens ex consilio, & ideo consulens adhuc teneretur de damno pro quantitate culpæ in dando consilio. Et ideo dixi, *ordinariè* non teneri. Inter consulentes secundo modo etiam est distinguendum: Qui solis precibus, blanditiis, promissis &c. vel falso supposito innoxio maleficium suscit, revocato tempestive consilio, non videtur teneri de damno: ut si amico suaseris Petrum occidere, qui occidit tuum fratrem, & postea ipsi amico ostendas tuum fratrem adhuc viventem, aut probes ab alio esse interfectum: item si precibus, blanditiis, promissis &c. impuleris aliquem ad vindictam, furtum &c. & ante factum revoces promissa, ipse significet rem fore ibi ingrattam, &c. non teneris: quia tunc etiam cessat tota ratio agendi ex priori consilio proveniens, sicut de mandante dictum est.

Qui vero maleficium consulit proponendo ejus utilitatem, voluptatem, honorem, &c. aut indicando media & modos, quibus securius, & efficacius fiat, non absolvitur regulariter ab onere restituendi per talis consilii simplicem revocationem; quia non obstante hac revocatione remanet regulariter tota vis consilii, seu pondus rationum, atque eorum impressio facta in mente alterius. Quantumvis enim dicas illi: noli facere, poenitet me tibi id indicasse, aut suavisse, non impedit, quin maleficium appareat ipsi utile, delectabile &c. nec quin sciat modos, & media illud perpetrandi, quæ ipsi suppediit. Quapropter, si is motus maleficium exequatur, causa illius est, & restitutioni obnoxius. Non secus ac si arma Petro tradidisset ad occidendum Titium, quantumvis dehorteris Petrum ab homicidio, & nitaris arma auferre, si reipsa non auferas, & Petrus Titium illis occidat, tibi mors Titii imputatur, & de damno teneris. Idem eadem ratione videtur dicendum de eo, qui laudibus, aut exprobrationibus excitat alterum ad maleficium, ut exprobrando ignaviam, laudando generositatem, si non obstante simplici revocatione maneat in alterius mente laudum, aut exprobrationum impressio, vi cuius ad executionem moveatur. Sed videtur palpo potius quam consulens.

V. Quid faciet ergo consulens, ut eximatur ab obligatione restituendi? Debet quantum in se est prioris consilii rationes, & motiva efficacioribus rationibus, & motivis destruere. Si id nequit, debet eum, contra quem dedit consilium, monere, si possit absque suo longè majori detrimento, ut tibi, & rebus suis invigilet, ut dictum est de mandante. Tandem, si hoc non obstante fiat damnum videtur consilii, consulens quantumvis poenitens in eo, & justificatus manet obnoxius restitutioni, quia manet vera causa damni; & si sit mortuum, & forte in Cælo beatus, hæc obligatio transit ad ejus hæredes. Et hinc colliges a fortiori, non eximi ab onere restituendi, qui suadet malefactori, ut restituat, & non restituit.

Potes, utrum qui exemplo suo movet alium ad injustam damnificationem, teneatur ad restitutionem? Respondent negative Valentia, Sanchez, Vasquez, quos citat & sequitur Layman l. 2. tract. 3. c. 13. n. 6. & alii. Quia juxta quosdam exemplum movet imperfectè tantum: juxta alios, quia scandalum est tantum contra charitatem: sed neutra ratio satisfacit: non prima, quia exempla æquè in eo forent. *Theol. Billuart. Secunda secundæ.*

tius movent, quam verba; unde dicitur communiter: *Verba movent, exempla trahunt*: magis autem est trahi, quam moveri. Non secunda, quia, dato, quod scandalum sit tantum contra charitatem respectu scandalizati, quia liberè consentit; secus tamen respectu alterius tertii, cui nescienti, & invito damnum inferatur. Nec obstat, quod, qui præbet malum exemplum non intendat alterius tertii damnum: hoc ipso enim quo avertit se suo exemplo inducere ad damnum, illud intendit indirectè, non secus ac qui vendit arma furenti in hostem, intendit directè lucrum, indirectè mortem hostis, de qua tenetur. Si ergo revera quis suo exemplo aliquem ad injustam damnificationem æquè efficaciter (ut contingere potest) inducat ac consilio, pariter videtur teneri de damno; & ita censet Bonæ spei, quem citat & sequitur Ethica amoris l. 9. c. 49.

### §. IV. Consentiens.

I. Distingue cum Cajetano in Summula v. *Restitutio* §. 8. inter consensum, qui est causa, & inter consensum, qui solummodo est consensus, & non causa, v. gr. agit de bello injusto; convocatur Consiliarii, seu ii, ad quos spectat, consentium: horum consensus non solum est consensus, sed etiam causa belli injusti, quia ex eorum consensu pendebat negotium; & hos teneri ad restitutionem, indubium est. Idem dic Senatoribus suffragantibus injuste sententiæ, de vocalibus conferentibus vota in Electionem indigni ad Prælatum, au Beneficium. Audiunt plerique alii, bellum injustum esse decretum, injustam sententiam esse latam, indignum esse promotum, approbant, consentiunt, dicunt: fiat, ita sit. Horum consensus est solummodo consensus, & non causa belli injusti, inique sententiæ, promotionis indigni, cum ex ipsis voluntas inique suffragantium non pendeat, non mutetur, &c. & quamvis peccent graviter consentiendo iniquitati, non tamen tenentur ad restitutionem damnorum. Ita quibusdam additis laud. Card.

II. Difficultas est, utrum, cum res pluralitate votorum conficitur, ii, qui numero sufficienti completo vota conferunt, teneantur ad restitutionem. Certum est 1. eos, qui primi suffragantur ante completum numerum sufficientem votorum, quamvis prævideant sequentes consensuros, teneri ad restitutionem; quia revera influunt in injustum decretum. 2. Satis etiam constat, quod, si vota secretò conferantur, omnes tam primi, quam ultimi teneantur de damno, etiam (saltem probabilis) in solidum, sive sciant quid alii sint facturi, sive non; quia, cum negotium non sit conclusum nisi post collationem omnium votorum, censentur omnes una causa totalis iniqui decreti: sicut, si decem traherent navim, cui trahendæ sufficienti octo, omnes tamen trahunt. 3. Constat etiam, dum vota publicè conferuntur, eos, qui post numerum requisitum completum consentiunt, si priores ab iniqua sententia auctoritate sua, vel eloquentia, aut aliis modis revocare potuissent, teneri in solidum ut non obstantes. Idem dic de eo, qui nollet suffragari tunc, cum videt defectu sui suffragii iniquam sententiam esse ferendam: quia hi teneantur tunc ex officio, aut impedire, aut suffragari.

Quæstio ergo devolvitur ad casum, quo in collatione publica votorum priores suffragantes sint numero sufficientes, utrum qui post est suffragaturus teneatur de damno, si ex aliquo motivo humano in idem consentiat. Negant antiquiores Theologi, Cajet. Navarr. Less. Sylvius, Vasquez, Layman, & alii plures; quia cum per priora suffragia numero sufficientia res sit acta & conclusa, consensus sequentium nullo modo in eam influit. Affirmant Recentiores, Henno, Daëlmann, Perfector Tourneil, qui etiam dicit hanc Sententiam nunc esse communem; & negant, quod assumunt priores, nimirum completo numero votorum sufficienti rem esse peractam; voluntque, tunc solum rem esse peractam, cum, post collata omnia suffragia atque enumerata, igitur in conclusionem, Sententia formatur, & denuntiatur electus, aut damnatus; sique, qui votum confert ante conclusionem captam, aut sententiam decretam, præcedit finem istius electionis, seu negotii, proindeque potest in illud influere; non secus, inquit, ac si duobus vastantibus vineam tertius se jungeret. Idque inde magis probant, quod nomine omnium consentiendum res concludatur, & executioni mandetur: non enim cum declaratur electio, seu Sententia dicitur, talis habet vota ultra medietatem, & ideo est electus; sed habet tota omnibus recensitis, & ideo est electus: ergo concurrunt hæc vota ad electionem.

Confirm. r. qui, non collato suffragio, conclusioni electionis, seu Sententiæ injustæ succurreret, puta Scriba, vicus concursus hæc electio, seu Sententiæ mandaretur executioni, teneretur de damno: ergo a fortiori, qui per suum suffragium concurrat ad talem electionem, seu Sententiæ. Nec obstat, quod sine tuo suffragio res nihilominus conclusa fuisset; sufficit enim, quod de facto ad eam concurras: quia, ut diximus supra, in negotio restitutionis non est respiciendum ad hanc negativam, *an non facta fuisset res sine illo*; sed ad hanc affirmativam *an iste fecerit*. Conf. 2. Quando vota secretò conferuntur, tenentur secundum Patronos prioris Sententiæ omnes consentientes ad restitutionem, etiam si, juxta Sylvium, sciant jam præcessisse sufficientia vota: ergo a pari, dum vota conferuntur publicè: neque enim suffragantes publicè minus concurrunt per modum unius cause totalis, quam suffragantes secretò. Propriè itaque istas rationes hæc Sententiæ nobis videtur probabilior.

Quærent hic aliqui, utrum liceat suffragari electioni minus digni, quando dignior eligi non potest, & periculum est, ne indignus eligatur? R. affirmative: quia sic res Ecclesiæ, vel Republice utiliter geritur.

Quærent insuper, utrum Novitius, de cujus idoneitate dubitatur, sit recipiendus, an rejiciendus? R. esse rejiciendum; quia juxta Trid. ff. de Regular. c. 16. ii solum sunt recipiendi, qui post probationem inventi fuerint habiles: is autem, de cujus idoneitate verè dubitatur, non censetur habilis.

#### §. V. Palpo, recursus.

**P**alpo, seu Adulator dicitur, qui laudibus, adulationibus, aut etiam exprobrationibus movet aliquem ad inferendum damnum, ut injuriam alteri illatam exaggerando, aut exprobrando, a viro nobili non ferendam dictitando, vindictam extollendo, patientiam irridendo, pauperatam vituperando, furti utilitatem prædicando. Qui ergo bis, & similibus modis movet moraliter ad injustam damnificationem, peccant graviter, & tenentur ad restitutionem: neque necesse est, quod intendat directè damnum; sufficit, quod illud intendat indirectè, quatenus prævident, aut prævidere possunt securum ex sua palpatione. Hic cooperandi modus parum differt a consulete. Quid est enim aliud exprobrare alteri ejus ignaviam, aut laudare vindictam, nisi eam illi consulare: quæ igitur fusiis de Consulete dixi, pro dictis hic habeto.

II. Recursus, hoc est, præstans recursus, seu Receptor, vulgò *Receleur*, dicitur quicumque securitatem, commoditatem, protectionem, custodiam malefactori præbet, ex quo fit, quod vel damnum inferat, vel illatum non restituat. Et hunc quoque teneri ad restitutionem, manifestum est, cum sit causa injustæ vel acceptationis, vel detentionis: unde vulgare adagium: *S' il n'y avoit point de Receleur, il n'y auroit point de voleur*. Tales sunt 1. qui vel antè factum offerunt malefactoribus domum suam in asylum, vel post factum ipsos recipiunt formalitèr ut malefactores, eos scilicet, eorum instrumenta, & furti receptando, custodiendo, occultando. Si enim recipiant ut amicos, ut consanguineos, ut alios hospites transeuntes: item si furem, dum quæritur ad carcerem, & fortè ad necem, sub spe emendationis occultarent, aut viam evadendi ostenderent, non peccant, nec tenentur ad restitutionem: quia per se loquendo non sunt causa, cur fures, aut de novo furantur, aut ablata non restituunt; sed præcisè exercent vel opus misericordiæ, & humanitatis, vel commercium legitimum, ad quæ jus habent. Quod si fortè fures inde fiduciam captent iterum furandi, aut non restituendi, id respectu recipientium est per accidens, & ad id censetur tantum se permissivè habere: Aliud foret dicendum, si ex officio tenerent denuntiare, aut si constaret, fures inde sumptuos occasionem perseverandi in maleficiis ut si jam semel, aut bis a vinculis erepti ad vomitum redierunt. 2. Tales sunt Belli duces, aut Magnates, qui milites, aut subditos, furta, rapinas exactiones exercentes, fovent ac protegent. 3. Caupones, qui Filiosfamilias accipiunt, pecunias, aut mobilia a parentibus ablata occultant, & sæpè sibi vindicant in pretium comperationum. 4. Interpolatores, seu veteramentarii, qui omnis generis vetera mobilia sibi oblata indiscriminatim emunt, cum ex hoc ipso suspicari saltem deberent esse furtiva. 5. Advocatus, qui in Civilibus patrocinando liti injustæ causa est, cur Client non restituat alienum. Dico: in civilibus; quia in criminalibus, sicut reus non tenetur crimen suum fateri, donec interrogetur juridicè, ita Advocatus vices ejus gerens

potest crimen illius occultare, sicut posset ipse reus, modo tamen non utatur fallaciis, aut mendaciis. Et quamvis debeat ex charitate efficere quantum in se est, ut cliens restituat; si tamen non restituit, non debet Advocatus ejus loco restituere, quia habebat jus defendendi furem, sicut fur ipse: unde cum defendendo, & liberando non est causa, cur non restituat, sed utendo jure suo ad id permissivè tantum se habet.

Petes utrum excusari non possint a peccato, & a restitutione, qui metu mortis, aut incendii, alteriusve gravis mali fures, eorumve furti in domum suam recipiunt, & in ea occultari permittunt, ut quandoquè accidit in hospitibus solitariis? Respondent plures affirmativè; quia est actio de se indifferens: patebit ex modo dicendis de Participante.

#### §. VI. Participans.

**P**articipans est duplex, in præda, & in crimine. Participans in præda tantum est ille, qui post damnum illatum partem prædæ, seu furti accipit: & hic, si dum partem accipit, nesciebat esse furtivam, tenetur tantum illam partem restituere, si extet; aut si amplius non extet, id solum, in quo factus est ditior, quia tenetur solum ratione rei acceptæ. Si sciebat, esse furtivam, tenetur, si extet, eam reddere; si non extet, æquivalens, etiam si inde non sit factus ditior; quia tenetur ratione injustæ acceptationis. Undè, qui bona fide bibit nesciens vinum furtivum, tenetur tantum, in quantum suo vino, vel cerevisiæ peperit; si sciens, ad ejus valorem, nisi nihil suo vino, vel cerevisiæ pepererit. Participans in crimine, non solum est is, qui immediate per se cum alio actionem damnificativam exercet, ut si duo simul occidant hominem, spoliant domum &c. hi enim potius dicendi sunt coæqueutes, quam cooperantes: sed etiam illi, qui ad damnum inferendum præbent auxilium, seu instrumenta, ut qui furi scalas commovent, applicant, tenent, ascendentes sustinent, comitantur ut animam addant, claves adulterinas efficiunt, excubias agunt, venenum, arma furenti in hostem subministrant, prædas factas longius avehant &c. Hos porro, dum hæc spontè, & nulla urgente necessitate agunt, teneri ad totius damni restitutionem in solidum, constat (etiam si sine eorum ope damnum fuisset illatum) quia de facto in totum efficacitèr influunt.

Sed Quæstio valde implexa est, & quæ non parum torquet Theologos: utrum, qui hæc agunt metu mortis, aut alterius gravis mali, ut contingit v. gr. in Captivis apud Turcas remigantibus adversus Christianos, in Rusticis avehentibus prædas furtivas militum &c. peccent & teneantur ad restitutionem? Quidam, quando agunt tantum de damno in bonis fortunæ inferendo proximo, excusant, & a peccato, & a restitutione omnes istas actiones factas metu foris, aut alterius mali longè gravioris malo inferendo; & non solum eas, quæ præcedunt, aut subsequuntur injustam damnificationem, ut præbere instrumenta, avehere prædas jam factas, sed etiam eas, quæ per se immediate damnificant, ut perferere parietes, arripere, asportare mobilia. Hujus Sententiæ rationes proponemus infra, & solvemus. Quidam condemnant has omnes actiones, non solum quæ immediate damnificant, sed quæ præcedunt, aut sequuntur ipsam damnificationem. Alii tandem distinguunt: has excusant, illas condemnant. Prima Sententiæ est nimis laxa: secunda videtur nimis dura: tertia inter utramque media videtur probabilior, & communior, juxta quam

Dico 1. Exequi metu mortis actionem immediate damnificativam, ut evertere muros, perferere parietes, pecunias, mobilia alia arripere, ejicere per fenestram, pecora stabulis abigere, ignem in æcervum injicere, &c. est illicitum, & parit obligationem restituendi. Quia tales actiones sunt intrinsecè malæ; quid est enim hoc aliud, quam furari? Quod autem est intrinsecè malum, nullo bono sine dishonestari potest; & non sunt faciendæ malæ, ut eveniant bona.

Dico 2. Ex tali actione sequitur duplex effectus, unus bonus, scilicet salus mea, alter malus, nempe damnum proximi; possum autem intendere bonum effectum, & me habere permissivè ad malum: sicut in defensione occisiva contra injustum aggressorem, aut in expugnatione turris, ubi includuntur simul innocentes & hostes, intendo defensionem meam, & permissivè me habeo ad mortem aggressoris, aut innocentium, quod est licitum, secundum D. Th. infra q. 64. a. 7. o. ergo. R. Nego paritatem. Dis-

pa

paritas est, quod in utroque casu posito defensio, seu salus mea æquè immediate sequatur ex actione mea, ac mors aggressoris, aut innocentium. At in nostro casu salus mea non sequitur immediate ex actione mea damnificativa, sed ex voluntate mutata miantis: unde prius fit malum, ut eveniant bona, quod est illicitum.

Dico 2. Ablatio, seu damnificatio rei alienæ non est injusta, nisi in quantum dominus est rationabilitèr invitatus; atque in casibus conclusionis dominus non est rationabilitèr invitatus: ergo. Prob. Min. Dominus non potest rationabilitèr exigere, ut cum dispendio vite meæ consulam bonis ejus temporalibus, quæ sunt inferioris ordinis: ergo. Confirm. Dominus non potest rationabilitèr exigere, ut ipse tur ipse restituat injustè ablata cum dispendio vite: ergo a fortiori quod innocens vitam profundat pro ipsorum conservatione. R. N. Min. ad probat. D. Ant. Dominus non potest rationabilitèr exigere, ut cum dispendio vite meæ consulam bonis ejus temporalibus per actum positivum, v. gr. impediendo fures, extinguendo incendium, C. Ant. nisi fortè ad id teneat ex officio: per non ablationem, seu non destructionem rei suæ possessæ, N. Ant. Si enim teneretur domianus consentire rei suæ ablationi propter alterius periculum, sic ut quisque pro gravi suo damno vitando posset aliena surripere, sequeretur summa Republice perturbatio, & totalis boni communis eversio, dum quisque in propria causa Judex & cupiditate habendi impulsus fingeret damnum grave, ubi non esset, & fures audaciores facti quos vellet gravi metu incusso socios criminis haberent, sicut omnia furtibus & furtis replerentur. Quamvis ergo dominus in his casibus fortè teneatur ex charitate temporalia dare, non tamen tenetur consentire, ut sibi ab aliis surripiantur. Sicut dives, qui in gravi necessitate tenetur dare elemosynam pauperibus, non tamen tenetur consentire, ut pauperes sua auctoritate surripiant; & peccant, tenenturque ad restitutionem, si faciant. Et hinc patet responsio ad confirmationem. Non enim differt restitutionem propter grave damnum est Republice perturbativum & bono communi nocivum, sicut furari. Adde, quod, licet præceptum restituendi reuducatur ad præceptum *Non furaberis*; tamen inter se differunt in hoc, quod istud prohibet actum vitii, illud verò præcipit actum virtutis, qui ut sit verè virtuosus, debet vestiri omnibus circumstantiis loci, temporis, opportunitatis &c. quod non requiritur ad non ponendum actum vitii.

Inst. Licet in extrema necessitate absquè onere restitutionis aliena rapere, in quantum opus est ut necessitati subveniatur. Sic fame morienti licet panem alienum surripere: sic fugienti hostem persequentem licet concalcare alienas segetes, si non sit alia via mortem intentam evadendi: ergo similiter. R. N. Conseq. Disparitas est, quod in casibus instantiæ salus mea sequatur immediate ex actione mea aliunde damnificativa, ita ut hæc sit medium quasi ex natura rei in tali casu ad meam salutem. At in casibus conclusionis salus mea non sequitur immediate ex actione mea damnificativa, sed ea posita sequitur ex mutata voluntate furis: unde in tali casu est facere malum, ut eveniat bonum, sicut jam dictum est. Altera disparitas est, quod in casibus instantiæ non sequatur inconveniens nocivum bono communi, sicut sequitur in casibus conclusionis, ut probavimus.

Dico 2. Probabilis nobis videtur, actiones, quæ non sunt immediate per se damnificativæ, sed quæ præcedunt, aut subsequuntur damnificationem, ut commodare scalas, claves &c. aperire januam, sustentare ascendentem, remigare apud Turcas contra Christianos, aggeres construere, longius avehere prædas jam factas &c. si fiant metu mortis, aut mali alterius longè gravioris quam sit damnum inferendum, non esse illicitas, nec restitutioni obnoxias. Quia istæ actiones sunt secundum se indifferentes, & propter bonum finem fiunt, nempe ad salvandam vitam: non est autem illicitum ponere actionem secundum se indifferentem ad bonum finem, licet ex alterius malitia sequatur malum, maxime quando bonus effectus est majoris momenti, quam damnum, quod ex illa sequitur per accidens. Si dicas cum adversariis, has actiones quamvis secundum se sint indifferentes, tamen prout hic & nunc fiunt, non esse indifferentes, sed revera concurrere ad damnum. R. quod non concurrant ad damnum prout sunt ab agente, sed ex perverso usu & malæ voluntate furis eis abutentis.

Confirm. Conclusio ab inconvenienti. Si præfatæ actiones sint damnandæ, non video, quomodo excusari possint infinite propè actiones, quæ passim ut licitè admittuntur. Theol. Billuart. Secunda Secundæ.

Sic peccabit, & erit obnoxius restitutioni, qui metu mortis adactus reddet depositum gladium repetenti in interfectionem amici, aut pecunias depositas abusura ad usus, ebrietates, scortationem &c. Similiter peccabit caupo, qui metu mortis subministrat potum se inebriaturus. Item peccabit puella, quæ ex honesta, aut etiam utili & necessaria causa se offert conspectui adolescentis, quem novit inde peccaturum. Item reus erit, qui ex audientia confessionum, aut ex alia honesta actione, quam ponit, prævidet securam pollutionem; & sexcenta alia, quæ non minus, quam præfatæ actiones, ut hic & nunc fiunt, concurrunt ad malum effectum. Imò magis & quæ remore influunt, etiam erunt illicitæ. Sic peccabunt & erunt obnoxii restitutioni, quia arma, aut venena vendunt promiscuè, cum sciant aliquos uti iis in aliorum perniciem; similiter qui fucos, taxillos, cartifolia vendunt, quibus sciunt plures abuti; & sic discurrendo per innumeratas propè actiones, quæ continuo occurrunt: quia hæc etiam actiones suo modo influunt in malum effectum, & licet minus proximè quam præcedentes, influunt tamen.

Cæterum, ut rei aliunde obscuræ & tam frequenti lux aliqua affulgeat, non pigebit rem citius repetere, & revocare, quid sit voluntarium directum, quid indirectum. Voluntarium directum & in se dicitur quidquid per se procedit a voluntate, seu omnis actus, qui per se intenditur, elicitur, imperatur, vel admittitur a voluntate: ut si deliberatè odisti hominem, vis occidere, occidi imperas, occidere volentèr implandis, consentis. Porro damnum sequens ex actionibus, de quibus est quæstio, non esse sic directè & in se voluntarium, palam est. Voluntarium indirectum, seu in causa dicitur, quod quidem secundum se & in se non intenditur, elicitur, aut imperatur a voluntate; tamen ratione alicujus per se volti prævidetur securum, & ideo voluntarium censetur, ac imputatur; diciturque voluntarium in causa voluntarium interpretativum, seu presumptum.

Ut autem aliquid sit voluntarium in causa & indirectè, communiter tria requirunt Theologi: 1. quod sciatur, aut sciri possit, ac debeat securum ex tali causa: 2. quod possit: 3. quod debeat impediri per amotionem talis causa. Si enim nulla Lege teneat abstinere a tali actione, quin potius habeat jus ad illam, nulla est ratio, cur effectus malus, sequens ex illa per accidens & contra meam intentionem, mihi imputetur ut voluntarius.

Porro unusquisque tenetur ex Lege modò charitatis, modò Justitiæ abstinere ab actione, ex qua prævidet malum effectum securum, nisi eam ponendi habeat aliquam rationabilem causam. Quandonam verò adit causa rationabilis, non potest assignari una Regula certa, cum infinitis propè modis casus diversificentur; sed id arbitrio prudentum & communi hominum sensui relinquatur. Pro quo tamen non malè quatuor proponuntur consideranda. 1. Tanto major requiritur ratio, quanto majus est malum, quod sequitur. 2. Tanto major requiritur ratio, quanto causa, seu actio, quæ ponitur, propinquius concurrat ad malum. Sic major requiritur ratio in sustentante ascendentem furem, quam in commodantem scalam. 3. Major requiritur ratio, quando sine tua cooperatione effectus non sequeretur, quam si adhuc sequeretur. 4. Major requiritur ratio, quando effectus est contra Justitiam in damnum tertii, quam si sit contra alias virtutes, puta, temperantiam. Hæc sanè videntur rectè rationi conformia, & ex his minus erit difficile resolvere plures casus in praxi satis implicatos. Confer, quæ dicam art. seq. §. 1. & Diss. 10. art. §. 1. probatione 4. Item de Temp. Dissert. 6. art. 11.

Obj. 1. Condemnationem hujus propositionis ab Innoc. XI. Famulus, qui submissis humeris scientèr adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam Virginem & multoties ei subseroit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid aliud simile cooperando, non peccat mortalitèr, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne a domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur. R. Hanc propositionem jure esse damnatam, intacta præsentis sententiæ. Quia excusatur famulus sic cooperantem metu levis mali, nimirum torvi aspectus, aut expulsionis, quod sub eminentio nomine *Gravis detrimenti* obtendit. 2. Quia excusatur eum, qui jam multoties huic turpitudini ministerium præbuit, cum statim post primas vices talem herum deserere debuisset. Non credimus autem fuisse damnandam, si excusasset famulum, qui metu mortis semel opem hero suo tulisset & inde ipsum dæseruisset.

Obj. 2. Quidam ex his cooperantibus possunt justè occidi ab his, qui injustè invaduntur, ut remiges Christiani

Na 2

apud

apud Turcas, auxiliantes noctu invadentibus domum alienam &c: ergo inique agunt. Patet consequenter. quia alias scienter daretur bellum justum ex utraque parte. R. D. Ant. Post sunt occidi jure vindicte tamquam rei criminis, N. Ant. jure defensionis, C. Quomodo possunt occidi pueri, aut amens, alii innocentes inclusi in turre expugnata, aut positi in fronte praelii. Nec repugnat dari speciem belli justis ex utraque parte, quando ex una parte non est propinqua & directa oppugnatio, ut patet in servo jure belli, qui potest fugere, & tamen a domino castigari; item in incarcerato, qui effracto carcere fugere potest, & tamen ideo puniri; & aliis. Secus, si oppugnatio esset propinqua & directa ex utraque parte. Unde isti remiges apud Turcas, dum impetunt a Christianis, non possunt se sic contra eos defendere, ut ipsos lædant, vel occidant; sed debent a remigatione desistere, quia vel cessat coactio, vel si non cesset, non vitabunt illi perendo mortem, cujus metu remigant, sed aliunde incurunt.

III. Petes, utrum, quando plures immediate concurrunt ad damnum, v. gr. spoliati vineam, domum, ærarium, &c. teneatur ad restitutionem totius in solidum? R. sub distinctione. 1. Si mutuo consensu & consilio se invicem excitantes concurrant, teneatur omnes in solidum; quia tunc unusquisque est causa, non solum partialis damni quod per se facit, sed etiam damni, quod alter facit; sique omnes per modum unius cause influunt in totum damnum. Ita probabilis Soto, Bannes, Cajet. & alii, quos citat & sequitur Sylvius contra Palud. Sylvestr. Navarr. &c. Idem cum isdem videtur dicendum de gregariis Militibus, qui in bello injusto concurrunt ad expugnandam urbem; non secus enim ac spoliantes vineam coeunt in unam causam, & quasi una manu urbem spoliant, ac in totum damnum influunt, siquidem unus alteri præbet fiduciam, auctoritatem, & qualemcumque opem, nec unus sine aliis facinus aggredi fuisset ausus: si enim & hic, & illi, & alii se subtraherent, tandem tam pauci restarent, ut expugnare non auderent.

Si dicas: dum latro non audent aggredi aliquem euntem cum socio, quem tamen aggreditur, dum videt alterum latronem velle aggredi socium, iste alter latro non tenetur restituere damnum, quod primus intulit, licet ipsi fiduciam ad furtum præberet: ergo similiter de gregariis Militibus. R. Vel iste alter latro fiduciam primo scienter præbet, vel non. Si hoc secundum, non mirum, quod non teneatur ad damnum, quo primus fecit; quia non est ipsi voluntarium defectu cognitionis. Si scienter, existimo, quod teneatur; quia tunc voluntarie & efficaciter ad istud damnum influxit: ita gregarii Milites.

2. Si plures concurrant ad damnum, non communi consensu se mutuo excitantes, sed per accidens, tenetur quisque tantum ad suam partem; ut si, pluribus vastantibus vineam aut spoliatis ærarium, tu superveniens tuam partem accipias, teneris tantum ad tuam partem, & non ad partes aliorum, quia non influunt in illas.

IV. Sed ulterior questio est, an furando partem levem pecces mortaliter, & teneris sub mortali hanc levem partem restituere, si scias damnum grave aliunde ab aliis esse inferendum, aut illarum: imò, etsi tum nescias, sed postea rescias, teneris similiter tuam partem levem restituere sub mortali: v. gr. itinerando ingredieris vineam: vides eam jam magna ex parte spoliatam, aut si cis brevi spoliandam, interim unum & alterum botrum colligis: peccasse mortaliter, & teneris sub peccato mortali istos paucos botros restituere? Item furaris unum & alterum botrum ex vinea integra, nesciens quid sit deinde futurum; postea rescis a furibus esse totaliter spoliatam, teneris iterum sub peccato mortali restituere tuos paucos botros? R. Negativè cum Soto, Maldero, Salmanticensibus, Lessio, & aliis. Quia nemo peccat mortaliter in ratione furti, neque sub mortali tenetur restituere, nisi grave damnum intulerit, vel fuerit causa gravis damni ab aliis illati; atqui in utroque casu posito grave damnum non intulisti, nec fuisti causa gravis damni ab aliis illati: ergo.

Conf. ab absurdis. Ex opposita sententia sequitur 1. quod surripissis assem a Rege peccet mortaliter, & tenetur sub mortali illum restituere, cum sciat multa modica passim a Rege surripiri, quæ cum illo asse summam notabilem efficiunt, 2. Itinerantes, qui in via quosdam carboas aut quedam gramina conculcant, peccant mortaliter, & tenentur sub mortali ad restitutionem, cum sciant id pariter fieri ab aliis itinerantibus, 3. Qui furatur assem a Petro, a quo novit alterum furatum fuisse novemdecim asses, magis peccat & tenetur strictius ad restitutionem, quam iste alter: is enim peccavit tantum

venialiter & tenetur tantum sub veniali restituere; ille autem peccat mortaliter, & tenetur sub mortali restituere. Hæc sane omnia esse absurda, nemo non videt.

Dices 1. Singuli cooperantur gravi damno: ergo singuli peccant mortaliter & tenentur sub mortali restituere. R. D. Ant. Singuli cooperantur gravi damno, in gravi quantitate, N. in levi quantitate, C. id autem non sufficit, ut peccent mortaliter, eo præsertim quod non influant in totum damnum neque totalitate cause, neque totalitate effectus, & sic contra cujusque intentionem, ut sua pars conjungatur cum aliis, & fiat grave damnum.

Inst. Qui modicum peccat mortaliter, & tenetur sub mortali restituere; atqui in nostro casu singuli compleunt summam notabilem: ergo. R. N. Conseq. Disparitas est, quod primus compleat damnum notabile a se factum, sicque per se graviter lædit proximum; secus in nostro casu.

Dices 2. Omnes isti possunt cogi per excommunicationem ad restituendum istud leve damnum, quod quisque intulit: ergo peccaverunt mortaliter, & tenentur sub mortali restituere. R. N. Conseq. Potest enim quis compelli per præceptum & excommunicationem ad id, ad quod ante præceptum non tenebatur ex natura rei nisi sub veniali, quando nempe adest justa causa talis compulsio v. gr. ad solvendum mulctam, ad comparandum supplicationi publicæ: in nostro autem casu potest subesse justa causa talis compulsio, nempe, grave damnum resarciendum.

Inferes: ergo potest quis omnia bona perdere, & nemo tenebitur ipsi restituere sub mortali. R. C. Illationem neque id absurdum videri debet, cum possit omnia perdere & nemo sub ullo peccato tenetur restituere, ut si ab aliquo inculpate dampnicatus in totum.

#### §. VII. Mutus, Non obstans, Non manifestans.

I. **H** tres concurrunt ad damnum negativè tantum, in quantum illud non impediunt, cum possunt, & debent impedire; ex quo fit, quod damnum ipsis imputetur. Mutus est ille, qui tacet, cum posset & deberet loqui, furem prohibendo, dissuadendo, reprehendendo, clamando &c. ne damnum faciat, aut illatum resarciat. Non obstans est ille, qui cum posset & deberet opem corporalem impedire damnum, aut ejus restitutionem procurare, omittit. Non manifestans est ille, qui cum posset & deberet, non denunciaret, non detegit malefactorum; sive ante factum, ut impediatur, sive post, ut restituatur. Itaque mutus omittit operam verbalem erga dampnicatam; non obstans operam corporalem erga eundem; non manifestans operam verbalem erga Magistratus, aut dominos dampnicatos, vel dampnicandos.

II. Ut hi tres, (Elic a. 7. o. & ad 3.) dum damnum non impediunt, teneatur ad illius restitutionem, tria requiruntur: 1. quod impedire culpabiliter omiserit: 2. quod sine suo gravi damno potuerit impedire; 3. quod impedire teneatur ex Justitia. Circa primum dixi supra, eos, qui tenentur ratione contractus expressi, teneri ex culpa juridica, quandoque lata, quandoque levi, quandoque levissima: eos vero, qui tenentur ratione quasi contractus, seu officii, teneri tantum ex culpa Theologica, plus aut minus secundum gravitatem culpe. Require supra a. 6. & 7. Circa secundum hujus ratio est; quia nemo censetur velle se obligare sive ex contractu, sive ex officio, ad impediendum damnum alterius, quando id non potest sine suo gravi detrimento; nisi id exposcat speciale pactum, seu officium, vel nisi ex longè copiosiori stipendio id eruat; vel tandem nisi damnum impediendum longè præponderet damno, quod incurreret impediens. Ita Soto, Navarr. Serra &c. Hinc colliges, Prætores, Custodes, & similes non teneri impedire damna particularium, furta, homicidia, cum detrimento vite, fame, aut gravi damno rei familiaris; secus, si ageretur de impediendo damno communi hæresum, proditorum Republicæ, & similibus. Colliges et contra, militem teneri pugnare cum dispendio vite, Pastorem ministrare Sacramenta ovibus tempore pestis, eas contra hæreticos ab errore defendere, etiam cum vite periculo; quia eorum officium id exposcit & ad id sunt instituti. Circa tertium, illud negat Cajetanus cum Angelo, & Richardo, vultque, solam obligationem ex charitate sufficere, ut non impediens damnum teneatur ad restitutionem. Sed oppositum communiter sustinetur cum Auctore. (Ibid.) Ratio est, quia obligatio restituendi oritur ex solius Justitiæ, non charitatis, violatione.

Dices 1. Alexander III. C. Sic ut dignum 7. de homicidiis dicit, quod, qui potuit hominem liberare a morte, & non liberavit, cum occidit. Et Inno. C. Quantæ de Senent.

Ex-

Excomm. declarat excommunicatos eos, qui, cum possunt non abstant ne manus violentie injiciantur in Clericos, ergo. R. Ad 1. Sensum esse, cum, qui non liberat a morte hominem, dum potest, esse reum homicidii, proit homicidium est contra charitatem, non proit est contra justitiam; quo sensu dixit Ambrosius de divite, non largiente eleemosynam pauperi: Si non pavisti, occidisti. Insuper probat Sylvius, ibi non agi de his, qui mere se habent negativè, sed de his, qui se positivè habuerunt ad damnum, scilicet de comitantibus percussores S. Th. Cantuariensis, non ut percuterent, sed ut percussoribus opem ferrent. Ad 2. neganda est consequentia: alia enim est ratio excommunicationis, alia restitutionis. Ad excommunicationem sufficit grave peccatum; sive contra charitatem, sive contra justitiam: ad restitutionem verò requiritur peccatum contra justitiam. Insuper Glossa hunc Textum explicat de his, qui ex officio impedire teneantur.

Dices 2. Ille obnoxius est restitutioni, qui est causa damni; atqui, qui potest & debet, etsi ex sola charitate, est causa moralis damni, tunc enim damnum est ipsi voluntarium interpretative: ergo. R. D. maj. Ille obnoxius est restitutioni, qui est causa damni, per violationem Justitiæ, C. maj. per violationem charitatis tantum, N. maj. & ad hanc sensum distincta minore, N. Conseq. Solutio patet.

Inst. Docent communiter Theologi, eum, qui accepta à fure pecunia spondet se nihil dicturum, teneri ad restitutionem, etiamsi non sit obligatus ex justitia impedire: ergo. R. Talem plerumque teneri ad restitutionem, non præcisè quia tacet, aut non impedit, sed quia sic spondens accepta pecunia se nihil dicturum regulariter securiorum, & audaciorum reddit furem, sique positivè influat in damnum. Quod si per hoc non reddat furem securiorum, non tenetur secundum Soto, nisi munus acceptum sit pars furti.

Dices 3. Qui non obligato ex justitia impedire consultit, ut non impediatur, tenetur restituere: ergo a fortiori qui non impedit, cum sit causa damni propinquior. R. N. Ant. nisi consulens adhibeat vim, aut fraudem: quia, cum is, qui dampnicatur, non habet jus strictum, ut ergo impediatur ipsius damnum, non facit illi injuriam, qui minus simpliciter consultit non impedire.

Utrum autem, qui sic simpliciter consultit, sed ex intentione nocendi proximo, teneatur ad restitutionem; R. negativè: quia intentio nocendi per opus, quod de se & in his circumstantiis non est injustum, seu læsivum juris alieni, non est contra justitiam, sed contra charitatem. Vide, quæ satis fuscè diximus circa hanc difficultatem supra art. 12. Concl. 2.

III. Hi verò tenentur impedire ex justitia, qui tenentur ex contractu, aut quasi contractu, hoc est, officio; quia qui suscipit officium, implicite se obligat ad præstanda ea, quæ sunt illius officii. Hinc inferes. Præceptum, Magistratus, Gubernatores, Prætores, & alii, (Ibid.) quibus incumbit ex officio invigilare tranquillitati communi & indemitati civium; tenentur ad restitutionem omnium damnorum, quæ sua ex negligentia sequuntur, ut si non impediunt detrimenta suis subditis illata a feris, a latronibus, &c. 2. Tenentur Assessores, Consilarii, Electores, qui vel tacendo, vel non comparando, cum possunt, non impediunt iniquam sententiam, constitutionem, electionem &c. 3. Tenentur Tuores, Curatores, Administratores bonorum non impediens damna illata Pupillis, Minorenibus, Ecclesiis, Xenodochiis &c. 4. Tenentur famulii, domestici, quibus specialis cura domus aut rei familiaris demandata est, quales sunt Præfecti domus, Oeconomici, Coqui, Cellarii, Granarii &c. si non impediunt damna rebus sibi commissis illata, sive a extraneis, sive a conservis. Idem dic de eo, qui herum comitatur in via, quoad ejus personam & res, quas secum deferret. Illi autem, quibus specialis rerum cura non est commissæ, juxta communem sententiam etiam tenentur de damno, quod hero ab extraneis inferri permittunt quia hoc ipso quo suscipiunt officium famulatus, tacite se obligant ad invigilandum indemitati domini. Sed plures negant, eos teneri de damno illato a conservis. Non video tamen, cur minus respectu conservorum, quam respectu extraneorum teneantur, imò, ut bene advertit recentior Theologus, quo damnum facilius, frequentius, diutius inferri potest, eo major incumbit illud avertendi obligatio. Quapropter existimo, omnibus omnino famulis, ac domesticis incumbere obligationem impediendi damnum, domino a quocumque inferendum. Strictior tamen est obligatio illorum, quibus cura rerum commissæ est, quam aliorum. 5. Custodes Urbium, Agrorum, Vinearum, Sylvarum, Fluminum, Galliarum. Vectigalium tenentur indubiè restitutionem

vectigalium, aut damni illati Agris, Sylvis &c. dum fures, depraudatores, defraudatores &c. non impediunt.

Sed utrum etiam ad solutionem poenæ seu mulctæ, quam dampnicantes solverent, si essent denunciati aut deprehensi, teneantur, dum ipsos non denunciant, aut non apprehendunt? controveretur. Quidam affirmant, Salonijs, Bonæ-Spei Ethica amoris, Perfector Tourneli &c. Quidam negant, Sylvester, Sylvius, Lesius, Navarr. &c. Quis sententiæ ut probabiliori & communiori subscribimus: non quidem ea ratione, ut quidam volunt, quod poena non debetur ante Sententiam Judicis, quia hic non agitur de solutione poenæ ut poena est, sed de damno, quod ex ejus non solutione obvenit Republicæ, aut Domino. Ratio ergo hujus Sententiæ est quia Custodes non tenentur ex justitia accusare in hunc finem, ut Republica, vel dominus ditescat ex multis, sed ut vectigalia solvantur, & damna impediatur; ergo. Prob. Ant. Officium illorum non est, neque ad hoc constituuntur, procurant multas, sed ut recipiant vectigalia & res sibi commissæ serventur indemnes: ergo. Conf. Mulctæ non imponuntur, ut ex eis Republica, aut dominus dicescat, sed ut Leges serventur & subditi in officio contineantur, non enim alia ratione mulctæ pecuniariæ imponuntur, quam corporales, puta carceris, exilii, treremium; in his autem attenditur solam ratio Legis servandæ ergo: & in illis: ergo custodes non constituuntur, ut ex multis commodum reportet Republica, vel dominus.

Dices cum Ethica amoris. Officium custodum est non solum cavere damna, sed & periculum illorum, aliquo frequenter futurorum: quod non cavetur nisi per mulctam multatorumque deuntiationem: ergo. R. Inde non probari, custodes teneri ad solutionem mulctæ, sed ad aliqualem restitutionem, pro quanto scilicet ex suo silentio aut negligentia agebitur fraudatio vectigalium, aut dampnicatio rerum sibi commissarum, secundum arbitrium viri prudentis. Et hoc non negamus.

Dices iterum cum eodem & cum Perfectore Tourneli: licet custodes primario constituantur, ut damna caveant, aut vectigalia exigant; tamen secundario etiam constituuntur, ut per mulctas, aut occupationem mercium reparetur, quod aliorum, vel eorumdem depraudantium, seu fraudantium injuria, ac fraude perditum est: ergo hoc damnum resarcire tenentur custodes per solutionem mulctarum, aut valorem mercium. R. Quod si constaret, talem esse intentionem legis in impositione mulctæ, admittenda videretur hæc Sententia. At id neque constat, neque probatur, quin potius contrarium videtur verius, saltem regulariter loquendo; sicut enim, ut dixi, tale commodum non intenditur per legem in impositione mulctæ corporalis, ita nec in impositione mulctæ pecuniariæ, cum eadem ratione & eodem motivo imponantur mulctæ, tam corporales, quam pecuniariæ, nimirum, sicut dixi, ut leges exacte serventur & subditi contineantur in officio; ita saltem per se & regulariter loquendo. Unde, quod lucrum ex mulctæ, aut occupatione mercium obveniat Republicæ, aut Domino, id videtur extraneum & accidentale intentioni legis, nisi aliud exprimat, aut aliunde constet. Hæc tamen dixerim inquirendo magis, quam resolvendo.

Cæterum graviter peccant, qui data pecunia, aut alia via corrumpunt custodes, ne contra juramenti sui Religionem suis fungantur officiis, sique ad damna inde sequentia tenentur, non restituentibus ipsi custodibus.

Petes 1. Utrum custodes, qui se abscondunt, ne videantur a dampnicantibus, ut sic eos in actuali dampnicatione deprehendant, teneantur ad aliquam restitutionem? R. negativè cum Navarro & Sylvio: non tenentur domino, qui abundè compensatur per eos, qui deprehenduntur; non dampnicantibus, quia nulla fit ipsis injuria. Imò & a peccato sunt immunes, si id faciunt, ut dampnicantes in facto semel deprehensi efficacius corrigantur.

Petes 2. Utrum testis, quia a Jure legitime interrogatus tacet & recusat ferre testimonium, teneatur de damno, quod ex ejus silentio sequitur? R. probabiliter negativè cum Banne, Silvio, Lessio &c. Quia mandatum Judicis, aut Superioris non imponit obligationem Justitiæ commutativæ, sed Legalis tantum & obediencie: unde testis tacendo non peccat contra Justitiam commutativam, sed contra legalem tantum, seu obedienciam. Nec obstat, quod Judex seu Superior tenet illi imponere officium testificandi, quia talis illud non acceptat: obligatio autem Justitiæ commutativæ maxime in actibus nostris liberis magis oritur ex acceptatione obligati, quam ex impositione Superioris, quatenus acceptando promittit & se obligat, secus si non acceptet. Idem propter eandem rationem

nem